EX PLINIO.

C Radix Hyacinthi in uino dulci illita pubertatẽ coërcet, & non patitur erumpere. Torminibus & araneorũ morsibus resistit. Vrinam impellit. Contra serpentes & scorpiones, morbumq; regium, semen eius cum Abrotono datur.

DE HYSSOPO▸ CAP▸ CCCXXIIII▸

NOMINA.

ΥΣΣΩΠΟΣ græcè, Hyssopus & Hyssopũ latinè, Officinæ nomen legitimum retinuerunt, Germanicè Jspen/oder Jsop uocatur.

GENERA.

Hortensis. Montana. Duũm generũ Dioscoridi Hyssopus est, hortensis & montana. Hortensis quę in hortis prouenit, ac culinarũ causa colitur, garten Jspen Germanis uocatur. Montana quæ in montibus nascit, & germanicè birg Jspen appellari potest.

FORMA.

Herba est pedali altitudine hortensis, fruticosa, folio Satureiæ satiuæ, floribus in cœruleo purpurascentibus, thyrsos spicæ modo uestientibus, radice longa & lignosa. Montana priori haud dissimilis est. Errant qui nostram Hyssopum hortensem non esse ueram putant: habet enim planè folium origani, nisi quod angustius est. Nec plures sunt eius apud Dioscoridẽ notæ. Nam quę de umbella quidam obijciunt, nihil ad Hyssopũ attinent, cum simpliciter scribat Dioscorides, Origanum D non habere umbellam rotæ speciem obtinentem. Id quod uerum est.

Hortensis & nostra Hyssopus est uera & genuina.

LOCVS.

In hortis, ut diximus, hortensis, in montibus uerò montana nascit. Cæteris præfertur quæ in Tauro monte prouenit.

TEMPVS.

Æstate floret, quo etiam potissimum tempore carpenda uenit.

TEMPERAMENTVM.

Hyssopũ calefacit & desiccat ordine tertio: sed & tenuium est partium.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Vim habet extenuandi & calefaciendi. Decocta cum ficis, aqua, melle ac ruta, & pota, peripneumonicis, asthmaticis, tussi uetustæ, destillationi & orthopnœæ opitulatur. Lumbricos necat. Cum melle lincta idem præstat. Decoctũ eius cum oxymelite potum, crassitudinẽ per aluum ducit. Estur cum ficis uiridibus, aluum subducens. Vehementius purgat adiecto illi cardamomo, aut iride, aut erysimo. Colorem bonum prębet. Cum fico & nitro illinitur ad lienem, aquam intercutẽ. Cum uino ad inflammationes. Discutit sugillata cum aqua feruenti illita. Angina laborantibus cum decocto ficorum optimũ gargarisma. Decocta cum aceto, dentium dolorem collutione mitigat. Inflammationes quæ circa aures sunt suffitu soluit.

EX PLINIO.

Hyssopum in oleo contritum phthiriasi resistit, & prurigini in capite. Stomacho est contrarium. Purgat cum fico sumptum per inferna, cum melle uomitionibus. Putant & serpentium ictibus aduersari, tritum cum melle & sale & cumino.

DE HYDROPI-



HYSSOPVS
HORTENSIS